

Berchtold Haller<sup>1)</sup> an Vadian.

*Bern. 1528. April 20.*

Klage über seinen Gesundheitszustand und seine Überhäufung mit Arbeit. Verschiedene Gefährden. Feier des Abendmahls nach neuem Ritus. Erneuerung des Rates und dessen Massnahmen für das Evangelium. Die fratres currentes. Brief des Rats an die Appenzeller. Bitte um ärztliche Ratschläge.

S. Tam fideli nuntio<sup>a)</sup> has tuas commendaveras, charissime Vadiane, ut a Berna omnino discedere nollet, quin in meas reddidisset manus. Deinde quoque, cum iam illi redeundum esset, has extorsit, quibus suam testaretur diligentiam et integritatem; non quod difficilis sim ad effundendam erga quosque meam barbariem, qui eam boni consulunt; sed quod, iam denuo morbo correptus, totus valetudinarius sum et usque adeo negotiis<sup>a)</sup> obrutus, ut vix respirare etiam bene valenti liceat. Accurrunt undique tot fratres, ingerunt se multi, cumque videant, se non mox ad sidera<sup>b)</sup> vehi, plaustra in me iniuriarum effundunt. Occupatissimus est senatus, ut vixdum initia rerum ordine innovandarum iacta sint. Urget Sabaudus Gebennenses, et hi urbem nostram invocant, etiam Sabaudis foederibus<sup>c)</sup> iunctam, ut nihil videres quam in omni rerum turbine praesentissima bella. Et quod omnium gravissimum est, villani quo-

que et qui in agro degunt, cum monachismus cum missa abrogatus sit, de repetundis bonis multa machinantur. Interim sermo domini currit suo more. Cenam<sup>o</sup> celebravimus pro commoditate ecclesie nostre; totus accessit magistratus populusque Bernatum, paucissimis demptis. Scultetus panem domini e manu mea suis accepit manibus; faxit deus, sincero<sup>d</sup> id fecerit animo. Deinde magistratus noster feriis his pascalibus renovatus est. Büttchelbach una cum omnibus adulteris repulsam tam a minori senatu quam a diacosiiis passus est, lexque sacramento sancita est et firmata, ut qui adulteri deprehendantur, mox e senatu proscribantur; si artificio vivant, id ipsum illis inhibeat; ubi minus resipuerint, ab urbe et agro amandentur. Sic 20 ex diacosiiis repulsam passi sunt, quattuor e senatu, Emanuel a præfectura in senatum vocatus est et bonorum piorumque virorum numerus sic adauctus est, ut incredulos superet. Speramus omnino aliam ecclesie nostre faciem, modo bella nos non impediunt. De sanguinaria illa pecunia ableganda speramus optime, modo dominus perficiat id, quod cœpit<sup>o</sup>. Ceterum<sup>o</sup> in commendandis fratribus velim te pro tua integritate hanc observare tessaram, quam et Zvinglius et Oecolampadius nobiscum communem habent. Veniunt enim quique et a te commendari desiderant; quod cum, ut humanus es et plane ipsa humanitas, negare nolis nec possis, mox abutuntur et quidvis exostulare audent, impudentissime etiam, Vadiani testimonio freti. Tessara itaque nostra est secreta, ut calci literarum subscribas: Soli deo honor et gloria; quam cum vel ad te dedero vel tu ad me, iam certi erimus utrinque, quid faciendum. Senatus noster tardus est ad amovendos impostores parochos; sed dum pacatiora reddita fuerint, quæ nunc turbatissima sunt, calcaria dabo. Adfuerunt ferme 70 currentes fratres, non missi, e quibus omnibus duo aut tres tessara dumtaxat insigniti erant; interim tamen omnes ferme commendati. Hi plus mihi negotii<sup>a</sup> fecerunt, non impensis, sed importunitate currendi, quam omnia, quibus insudare cogor. Deinde misimus ad te senatus nostri literas ad Abzellanos cum copia earundem propter parochum illum. Quas si acceperis<sup>o</sup>, scribas<sup>2</sup>). Postremo quæ infirmitas corporis mei sit, hac scheda lingua depinxi nativa, ne quid negligam. Tu igitur pro tua in medica arte dexteritate consule pro remediis conservativis, curativis ac præservativis, quibusve cibis et potibus abstinere oporteat, dum per otium<sup>a</sup> licuerit. Interim felicissime valeas. Doctorem Seritorium, virum mihi charissimum, cuius etiam unas accepi<sup>o</sup> literas, nomine

non meo solum, sed totius ecclesie salutabis. Item et Dominicum, Iufflium, Avienum, Christannum Fridbold, qui nullam a nobis exspectabit<sup>o</sup> papyrus<sup>f</sup>); sic enim levir suus commiserat. Salutant te quoque comministri mei Franciscus, Megander, Sebastianus, Rellicanus, urbis a secretis, Nollius, Hagius, Spillman ceterique<sup>o</sup> omnes. Tillmanus nunc Tiguri est. Vale igitur et me tibi unice commendatum amplectere. Berne, XX. Aprilis anno 28.

Tuus ex animo *Hallerus*, minimum scilicet numisma<sup>g</sup>).

Prudentissimo viro D. Ioachimo Vadiano, consuli urbis inclite Sanctogallensis, maiori suo in domino cum primis observando.

a) „c“ für „t“. — b) „y“ für „i“. — c) „e“ in der Stammsilbe. — d) „syncro“. — e) „exp“. — f) „papyrus“. — g) „numisma“.

1) Vgl. III, Brief 434. — 2) Vgl. dazu dazu: Strickler, Actensammlung I, Nr. 1901, S. 593, und oben Brief 507.

\* \* \*

XI 94.

Das ist mir zum dritten mal begegnet: Ein grosse kelte begriff mich, das ich erzitteren, und sticht mich an dem bein, ietz am rechten, dann am lingen, als ob es ein pestilenz wäre, und wirt ob den knüwen einer hand breit als roth als ein für. Demnach schüst es under die knüw in den gantzen füß und consumiert sich, das die hut abgat. Nun das sorgen ich nitt. Allein das, das mine bein so gar gneigt sind zü der gschwulst; und wo ich sy nitt alltag mitt schirligbinden satt bunde bys in die knüwbüge, sorg ich, wurde es mir übel ergon. Essen und trincken im tag zwei mal mag ich fast wol und schlaffen darzû; so bin ich lidig geschickt, medicin ze nâmen. Allein bedorfft ich ein täglich remedium und regiment ze läben. In summa: ir habend wol gsâhen, was ich für ein kund bin. Demnach wissend, das um miner schwären red, grösse dess libs, öch unser pfarrkilchen, in deren ich nun im 10. jar predigen, herniam in dextro latere erliden, wiewol ich sorg von iugent uff, aber erst ietz zeigt es sich herfür. Nun lid ich kein schmerzen; aber ungschicklicheit empfind ich. Das sind nun zwei krütz, die ich üch als minem vatter uffthûn. Helffend und rätend mir, als ich üch so trûw. Das dritt krütz ist propter Christi verbum; hatt sin remedium Christum selbs. Ecce, mi Vadiane, sic me tibi totum aperio et commendo, nihil diffusus de tua in me sedulitate. Tantum age, ut, si quæ<sup>a</sup> mittere statueris consilia, certo nuntio<sup>b</sup> id facias. Rursus vale.

Idem *Hallerus*.

a) „æ“ für „æ“. — b) „c“ für „t“. — Ein häufig vorkommender Abkürzungsstrich auf auslautendem „m“ in deutschen Worten, besonders einsilbigen, blieb unberücksichtigt.